

premi Capitani Styriæ filiam, ex qua suscepit gnatos sex & filiam unicam. Naturæ debitum persolvit, Casparus, am Mittwoch nach St. Michaelis-Tag Anno 1423. & sepultus est in templo oppidi Ligast / ibi monumentum ex marmore erectum in quatuor angulis Fladniziorum, Kelziorum (der Kelzen) qui pavonem cœruleum gesserunt, & Gallum medium Weisen-eckiorum insignia repræsentat, medium Lapidis Saurauriorum Arma occupant; Georgius de Saurau An: 1401. & 1458. in vivis fuit, & cum Uxore sua, Jodoci de Helffenberg filia, officium sub Mareschalli Hæreditarii in Styria (Land Unter-Marschall-Umbt) nactus est. Idem apud Fridericum Imperatorem Consiliarium egit, Anno 1448. & ab eo jus mixti Imperii, in Castro Premstetten nactus est. Johannes de Saurau Carniolæ Capitanius fuit. Fridericus de Saurau An: 1468. circa bona sua dispositionem Supremam condidit, eaque peracta An. eod. 1468. die Sancti Sebastiani, natali solo relicto, in terras peregrinas abiit, neque postea amplius visus est. Wilhelmus de Saurau, Ursulæ Sigismundi de Rogendorff filia maritus, Anno 1440 & 1470. claruit, & Pro-Præsidis in Styria munus atque apud Fridericum Imperatorem Dapiferi officium obiit. Johannes Schüssler cum Wolffgango de Saurau Caspari filio de castro Saurau An: 1413. litigavit. Hæc ex manuscripto Baronis de Kainach. (k) In Archivo Statuum Austriæ Fridericus de Saurau reperitur, cujus mentio injecta est in documento quodam de Anno 1351. (l)

(a) *MSC. Kainach. & Lazius de Migrat. gent. lib. 6. pag. 214.* (b) *MSC. Kainach.* (c) *Ibi.* (d) *Ibi.* (e) *Ibi.* (f) *Ibi.* (g) *Ibi.* (h) *Ibi.* (i) *Ibi.* (k) *Ibi.* (l) *Archivum Statuum Austriæ num. 422.*

CAPUT XLVI.

BARONES DE STEINBEISS.

Generosissimam Steinbeissiorum Familiam à multo tempore in Styria habitasse publicorum monumentorum fides tueretur. Henricus Steinbeiss contractui cuidam emtionis Anno 1351. erecto, testis adhibitus fuit. (a) Ille porro & Fratres ejus Nicolaus & Fridericus Steinbeissii bona quædam sibi invicem pignori dederunt Anno 1360. (b) Fridericus autem datis Nicolao & Henrico Fratribus reversalibus literis ad quædam præstanda se strictim obligavit Anno 1364. (c) Porro Fridericus Steinbeiss bona quædam Anno 1372. mercatus est. (d) Henricus Steinbeiss bona lex rustica ab Henrico Prueschenck Anno 1379.